



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitvlvm VIII. Cùm decorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

SUMMARIUM.

1. Clericus in minoribus Matrimonium contrahens, ut Laicus habetur, exceptis quibusdam casibus expressis.
2. Contra tonsuram, & habitum clericalem delationem, prescribi potest.

Notandum. Si Clericus in minoribus matrimonium contrahat, veluti Laicus reputatur, quia neque onera, seu obligationes, neque commoda, aut privilegia Clericorum participat, exceptis casibus expressis in *c. unico. hoc sit. in 6.* & addi potest alius casus sumptus ex hoc Capit. quod Papa Clerico conjugato, maxime si eum Virgine, eaque unica contraxit, dispensative Ecclesiasticum beneficium & officium conferre possit, in quo casu etiam clericalem tonsuram, & habitum deferre debebit, ob rationem, quæ in textu indicatur, quod tonsura Clericalis deferenda sit, ut vitam & conversationem Clericorum à Laicis distinguant. Si itaque Clerici, eò quod conjugati sint, à Clericorum conversatione, officijs, beneficijs, ac privilegijs Ecclesiasticis omnino repellantur, frustra ipsis imponitur tonsuræ delatio; at verò, si officium ac beneficium Ecclesiasticum, aut saltem servitium aliquod Ecclesiasticum, prout dicitur in *cir. c. unico*, ipsos habere, permittatur, tum jure optimo ad Clericalem tonsuram compelluntur.

Corollarium. Si Clericus ob crimen, v. g. Sodomiz, omni non tantum officio ac beneficio, sed etiam privilegio Clericali privatus sit ipso Jure, vel per sententiam Judicis, ita ut à seculari Magistratu capi, & puniri possit, tunc tonsuram, & habitum deferre non tenetur, per se loquendo.

Dubitarur hic. An contra legem seu canonem Ecclesiasticum de ferenda tonsura, & habitu per consuetudinem diuturnam prescribi possit, v. g. ut Subdiaconi clericitaliter non incedant. Resp. affirmativè, nam lex positiva per non usum diuturnum aboletur, si non usus contineat quasi actum equatium dispositioni legis, sicuti hic

Ioannes Andreas notat & Abb. n. 9 sed non delatio habitus & tonsuræ est veluti actus contrarius legi, sive Canoni præcipienti delationem, argum. reg. Digest. qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quæ non facit; consequenter, si bona fides, & persuasio in Communitate accedat, non esse in tali loco Subdiaconos obligatos ad habitum, & tonsuram, consuetudo præscripta introduci potest, ita tamen, ut Ordinarius loci reformationem per novum statutum, Juri communi Canonico conforme, introducere queat, quâ ratione valde usitatum est, ut in Synodis Diocesanis, & Provincialibus pristini, & diuturna consuetudine aboliti Canones, in observationem reducuntur.

CAPITVLVM VIII.

Cum decorem.

PARAPHRASIS.

Clerici conjugati ad Ecclesiasticas Dignitates admittendi non sunt, & si quas obtinent, ad deserendum cogi debent, cum sine pravo exemplo, & gravi scandalo retinere non possint.

Vide Capitulum 1, 2, & 3, hoc tit.

Notandum. Si Clericus in minoribus uxorem ducat, ipso Jure amittit Ecclesiasticam dignitatem, ideoque cogendus est eam deserere, v. g. Ecclesiæ secularis præposituram; idemque sentiendum de alijs beneficijs, & quâlibet administratione Ecclesiastica, prout dictum in *c. l. & 2. hoc tit.*

CAPITVLVM IX.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Quidam Clerici in Anglia, habitu & tonsurâ relicta, uxores publicè duxerunt, postea verò tonsuram reacceperunt, ut à tribus, & muneribus publicis liberi

ma-